www.e-rara.ch

Appellatio Fra. Martini Lvther Ad Concilivm

Luther, Martin

[Basel], [1518]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: III M 153,3

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-64188

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

APPELLATIO

FRA. MARTINI LVTHER

AD CONCILIVM.

APPELLATIO

F. MARTINI LVTHER AD CONCILIVM.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Anno à natiuitate eiusdem, millesimo quingẽtesimo decimooctauo, indictione sexta, die uero solis, uigesimaoctaua, mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Leonis diuina prouidẽtia, Papæ decimi, anno sexto, in mea notarij publici, testiumq; infrascriptorũ ad hoc specialiter uocatorum & rogatorum præsentia cõstitutus Reuerendus P. dominus Martinus Luther Augustinianus Vuittenbergensis, sacræ Theologiæ magister, ac ibidem lector ordinarius Theologiæ, principalis, ac principaliter pro seipso citra tamen quorũcunq; procuratorũ suorũ quomodolibet hactenus per eum constitutorũ reuocationẽ, habens & tenens suis in manibus, quandam prouocationis & appellationis papyri schedulam animo & intentione prouocandi, & appellandi, apostolosq; petendi, dicens, narrans, prouocans, & appellans, certis & legitimis de causis, in eadem scedula cõtentis & comprehensis, ad Concilium proxime & immediate futurũ, saltẽ in spiritu sancto legitime congregatũ, alijs uero cõgregationibus, factionibus, & concionibus priuatis penitus seclusis protestans aliaq; faciẽs, put in dicta appellationis scedula plenius cõtinetur, habetur, & describit̃, cuius tenor sequit̃, & est talis:

CVM Appellationis remedium in subsidium & releuamẽ oppressorũ à iurium cõditoribus sit adinuentum, & non solum ab illatis, uerumetiã ab inferendis, & inferri cõminatis, grauaminibus, & iniurijs, iura appellare permittant, adeo qd̃ inferior de nõ appellando ad superiorẽ statuere non possit & manus superiorũ claudere. Sed cum satis sit in professo, quod sacrosanctũ Concilium in spiritu sancto legitime congregatũ, sanctam ecclesiam catholicam repræsentans, sit in causis fidem

cõcernẽtibus

concernẽtibus ſupra Papam, euenit, quod nec Papa in cauſis huiuſmodi, ne ab eo ad Concilium appelletur, ſtatuere poſſit, tanꝯ id agens, qđ ad officium ſuum non ſpectet ullo modo. Sitꝯ appellatio ipſa defenſio quædã quæ iure diuino, naturali, & humano cuiꝯ cõpetit, neꝯ per principem auferri poſſit: Idcirco ego frater Martinus Luther ordinis Eremitarũ ſancti Auguſtini Vuittenbergenſis, ſacræ theologiæ Magiſter indignus, eiuſdẽꝯ ibidẽ Lector ordinariꝰ principalis principaliter & ꝓ meipſo, corã uobis Notario publico, tanꝯ publica & authentica perſona, ac teſtibus hic præſentibus, animo & intẽtione prouocandi & appellandi, apoſtoloſꝯ petẽdi & accipiendi, præmiſſa tamen expreſſa hac & ſolenni proteſtatione, qđ cõtra unam ſanctam & catholicã & apoſtolicã eccleſiam, quã totius orbis eſſe magiſtrã & obtinere principatũ nõ ambigo, ſanctæꝯ ſedis Apoſtolicæ autoritatem, ac ſanctiſſimi domini noſtri Papæ bene cõſulti poteſtatem, nihil dicere intendo. Si quid autem ex lubrico forſan linguæ, ſeu aduerſariorũ potius irritamẽto, minus recte, & nõ ea qua debeat reuerẽtia dictum fuerit, paratiſſimus ſum illud emendare, ſed quoniã is qui uicem dei in terris gerit, quẽ Papam dicimus, cum ſit homo, ſimilis nobis, ex hominibus aſſumptus, & ipſe (ut Apoſtolus dicit) circundatus infirmitate. potens errare, peccare, mentiri, uanus fieri, nec ſit exceptus ab illa Prophetæ generali ſentẽtia: Omnis homo mendax. Nec ſanctus Petrus, primus & ſanctiſſimus omniũ Pontificũ, ab hac infirmitate liber fuit, quin noxia ſimulatione cõtra ueritatem Euangelij incederet, ita ut rigida quidem, ſed ſanctiſſima reprehenſione apoſtoli Pauli opus habuerit corrigi, ut ad Galatas ſecundo ſcribit. Quo nobiliſſimo exẽplo per ſpiritũ ſanctũ in eccleſia monſtrato, & in literis ſacratiſſimis relicto, fideles Chriſti erudimur, & certi ſumus, qđ ſiquis ſummus Pontifex eadem Petri, uel ſimili infirmitate lapſus, quid præceperit, uel decreuerit, qđ cõtra diuina militet mandata, nõ ſolum obediendũ ei nõ eſſe, uerum,

etiã cũ apostolo Paulo in faciẽ ei resisti posse, imò debere, ac uelut p inferiora mẽbra infirmitati capitis, pia totius corporis sollicitudine succurri. Et in huius exẽpli præsentẽ ac perpetuã memoriam, nõ sine singulari dei cõsilio factũ esse, nõ obscure intelligit, ut non solũ S. Petrus, sed etiã salutaris eius reprehensor Paulus sanctæ Rhomanæ ecclesiæ iuxta & simul patrocinarentur, & præessent, ne scilicet solũ literis, sed sensibili quoq; monimẽto huius summæ necessariq; ac saluberrimi exẽpli, assidue moneremur, tam ipsa capita, q̃ nos mẽbra. Q d' si qua potentiũ ui armatus, tantũ prævaluerit, ut resisti ei nõ possit, unũ certe illud prædictum appellationis remediũ, reliquũ est, quo oppressi releuent. Ad quod & ego Frater Martinus Luther prædictus, modo & animo prædictis cõfugiẽs, dico & propono, q d' cum diebus superioribus indulgẽtiæ à quibusdã Commissariis (ut asserebant) apostolicis indiscretissime prædicarentur in regione nostra Saxoniæ, adeo, ut ad exugendas populi pecunias inciperent absurda, hæretica, blasphema quædã prædicare in seductionẽ animarũ fideliũ, & summũ ludibriũ ecclesiasticæ potestatis, præsertim de potestate Papæ in purgatoriũ, ut cõtinet eorũ libellus, qui Summaria institutio uocat, cũ tamẽ certũ sit ex. c. Abusionibus, Papã nõ habere prorsum ullam potestatẽ in purgatoriũ, deinde una totius ecclesiæ sententia, omniũq; doctorũ cõsensu, indulgẽtiæ sint nihil, nisi remissiones satisfactionis pœnitentialis à suo iudice impositæ, ut est clarus textus. c. Q d' autẽ. Satisfactio autẽ pœnitẽtialis ab ecclesiastico iudice imposita, aliud nõ sit q̃ opera ieiunij, orationis, eleemosynæ &c. Ideoq; clauibus ecclesiæ remitti nõ possit, q d' eisdẽ nõ fuerit impositũ. Itẽ q d' certũ est ex distinctiõe trigesimaquinta. c. Qualis. q d' in purgatorio nõ solum pœna, sed & culpa remittit: Culpã autẽ ecclesia remittere nõ potest, sicut nec gratiã cõferre. Istis autoritatibus nixus, cũ disputandi more fuissem reluctatus impuris & insulsis illorũ dogmatib⁹, cœperũt illi lucri studio furentes, primũ publicis declamationibus

nibus ad populũ declarare me hæreticũ, temeritate impuden
tissima. Deinde apud sanctissimũ dominũ nostrum Leonem
decimũ, per quendam dominũ Marium de Perusijs procura
torem Fiscalem accusare, tanq; hæresi suspectũ. Et per eundẽ
dominũ tandẽ impetrantes cõmissionẽ citandi mei, in perso
nas reuerendissimorũ dominorum & patrum Hieronymi de
Genutijs episcopi Asculani causarũ Cameræ auditoris, & Syl
uestri Prieratis, palatij magistri, per eosdẽ me citari curauerũt
ad urbem, ad personaliter cõparẽdum. Cumq; ego nec Vuit
tenbergæ tutus ab insidijs, tantũ iter perficere nõ possem, nec
Rhomæ tuto cõsistere, & pauperculus & imbecillis corpore.
Deinde iudices præfati mihi multis causis fuissent suspecti,
præsertim qd' Reuerendus Pater Syluester aduersarius mihi
fuerit, & dialogum contra me iam ædiderat, & in sacris literis
minus eruditus, q; ista causa ferre possit. Dominus autẽ Hiero
nymus in iuribus quoq; plus q; Theologia doctus, merito ti
mebatur Syluestrinæ theologiæ cõcessurus, & extra modum
suæ professionis hanc rem habere, sollicitaui per illustrissimum
principem, dominũ Fridericum, Ducẽ Saxoniæ, sacri Rho
mani Imperij Archimarschalcum, Landtgrauiũ Thuringiæ,
Marchionẽ Mysniæ, ut causa ad partes cõmitteretur nõ suspe
ctis, sed honestis & bonis uiris, tunc illi crassa quadã & insulsa
astucia instructi, apud sanctissimũ dominum Leonẽ &c. ege
runt, ut causa in seipsos, hoc est, in personã reuerendissimi do
mini Thomæ sancti Sixti Cardinalis, tunc in Germania sedis
Apostolicæ legati transferretur, ut qui de ordine Prædicatorũ
& Thomisticæ factionis, id est, aduersariæ, uel primarius, faci
le speraretur, contra me pro ipsis diffiniturus, aut ut uerisimile
est, certe ut huius facie iudicis absterritus, recusarem cõpare
re, & cõtumaciam incurrerem. Ego tamen ueritate dei fretus
ad Augustam multo labore & magnis periculis ueniens, hu
maniter quidẽ à præfato Reuerendissimo &c. susceptus sum.
Qui cum posthabita protestatione mea & obligatione, qua

uel publice uel priuatim me respõsurũ obtuli corã Notario & testibus, deniq; præsentibus quatuor insignibus uiris Cæsareæ Maiestatis Senatoribus, simulq; subijcerem me meáq; dicta sanctæ Sedi Apostolicæ, & iudicio quatuor illustrium uniuersitatum, Basilienſis, Friburgenſis, Louanienſis, tandẽ & studiorum parenti nobilissimæ Parisiẽn. me simpliciter ad reuocationem urgeret, nec uellet ostendere mihi errores meos, & quibus rationibus, uel autoritatibus error à me intelligi posset, nimio scilicet suæ factionis fratribus affectus, & iniquitatis faciem assumẽs: tandem nisi reuocarẽ, abiectis precibus & uotis discendi, & informationibus petitionis minas diras, ac crudelissimas uigore cuiusdam Apostolici Breuis intentauit, ac ne redirem in faciem suam, imperauit. Quibus grauaminibus læsus, tunc ab eius iniqua & uiolenta præsumptione, & prætensa sibi cõmissione appellaui ad sanctissimũ dominum nostrum Leonẽ decimũ melius informandum, prout in scedula huiusmodi appellationis plenius cõtinetur. Nunc uero etiam ista appellatione (ut dixi) cõtempta, cum usq; hodie cupiam, nõ nisi ut ostendantur mihi errores mei, quicunq; tandem id possit præstare, de quo denuo legitime protestor, paratissimusq; sum reuocare, si quid male dixisse fuero edoctus: Deinde totam disputationẽ meam subiecerim summo Pontifici, ita ut nec ego amplius aliquid in ipsa facere habeam, q̃ expectare sententiam, quam & usq; hodie expecto. Nihilominus tamen, ut audio, & idem reuerendissimus dominus Thomas sancti Sixti Cardinalis, scribit ad Illustrissimũ Principẽ Fridericum &c. in Rhomana Curia procedi contra me, & autoritate eiusdẽ Sanctissimi domini nostri &c. Iudices prætensos causam prosequi in damnationẽ meam, nõ attendẽtes meam fidelem & superabundantem obedientiam, qua tanta difficultate comparui Augustæ, nec curantes oblationẽ meam honestissimam, qua me ad responsionẽ publicam & priuatã obtuli. Deniq; cõtemnentes ouem Christi petentẽ humiliter doceri

ueritatẽ,& reduci ab errore,ſed ſimpliciter nec audita,nec reddita ratione, mera autem tyrannide & plenitudine poteſtatis urgere ad reuocationẽ ſentẽtiæ, quã ex cõſcientia ueriſſimam iudico,& ad abnegandã fidem Chriſti, & ueram apertiſſimæ ſcripturæ intelligentiã (quantũ mea capit cõſcientia) ſeducere uolentes: Cum poteſtas Papæ nõ cõtra,nec ſupra,ſed pro, & infra ſcripturæ & ueritatis maieſtatẽ ſit, nec poteſtatem Papa acceperat oues perdendi,in luporum fauces proijciendi, & in errores errorumq; magiſtros tradendi , ſed ad ueritatẽ (ſicut paſtorẽ & epiſcopum uicarium Chriſti decet) reuocandi . Ex quibus me læſum, grauaturq; ſentiens , cum tali uiolentia uideam futurũ eſſe , ut nullus etiã ipſum Chriſtum audeat confiteri,nec ſcripturas ſacras in eccleſia ſua propria profiteri, atq; ita me quoq; à uera,ſana, Chriſtianáq; fide & intelligentia , in uanas & mendaces hominũ opiniones uiolenter protrudi, & in ſeductorias populi Chriſtiani fabulas urgeri. Idcirco à præfato Sanctiſſimo domino noſtro Leone non recte conſulto , ſupráq; dictis prætenſis cõmiſſione & iudicibus,& eorũ citatione ac proceſſu,& omnibus inde ſequutis,& ſequuturis, & quolibet ipſorũ,ac à quibuſuis excõmunicatione , ſuſpẽſione, & interdicti ſentẽtijs,cenſuris,pœnis,& mulctis,atq; alijs quibuſcunq; denũciationibus & declarationibus ut prætẽdunt) hæreſis & apoſtaſiæ per eos,uel alterũ eorũ quomodolibet attentatis,factis,& molitis,attentandis,faciendis , & moliendis: Ipſorũq; nullitate (ſuis honore & reuerẽtia ſemp ſaluis) tanq; iniquis & iniuſtis mere tyrannicis & uiolentis: Necnõ à quolibet futuro grauamine,qđ mihi ex eo uenire poterit , tam ꝓ me q; ꝓ omnibus & ſingulis mihi adhærentibus,& adhærere uolentibus ad futurũ concilĩ legitime, ac in loco tuto ad quẽ ego , uel procurator per me deputandus libere adire potero, uel poterit. Et ad illũ,uel ad illos ad quẽ,ſeu quos de iure,priuilegio,cõſuetudine,uel aliàs mihi ꝓuocare & appellare licet, ꝓuoco & appello in ijs ſcriptis: apoſtoloſq; prĩo,ſecũdo,tertio, inſtanter,

instanter, instantius, & instantissime mihi dari peto, si quis sit, qui mihi dare hos uoluerit & potuerit, & præsertim à uobis domino Notario testimoniales. Et protestor de prosequendo hanc meam appellationē per uiam nullitatis, abusus, iniquitatis uel iniusticiæ, & alias prout melius potero, optione mihi reseruata, addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omnicq; alio iuris beneficio, mihi ac mihi adhærentibus & adhærere uolentibus semper saluo. Qua quidē schedula coram me & testib⁹ infrascriptis, ut præmittit inter posita protestatus fuit, & protestabatur expresse se per se uel procuratorem non posse ad eum accedere à quo extitit appellatum, tum ꝓpter metum plurimorū, sibi, & uitæ suæ insidiantium, ac eius à quo appellauit tum ꝓpter uiarum discrimina. Ideoq; petijt sibi à me Notario publico cum debita instantia apostolos tales, quales sibi de iure deberentur dari atq; concedi. Cui quidem petenti dedi apostolos tales, quales sibi debentur, uel saltem testimoniales præsertim instrumento publico extunc exarandos. Super quibus oīmibus & singulis petijt à me Notario infrascripto unum uel plura confici atq; fieri publicum, uel publica, instrumentū, uel instrumenta. Acta sunt hæc Vuittenbergæ Brandenburgen. diocesis. Sub anno, indictione, die, Mense & Pontificatu, quibus supra. Regnante diuo Maximiliano Rhomanorū Imperatore, hora tertiarum, uel quasi, in capella Corporis Christi, in Parrochialis ibidem cimiterio situata. Præsentibus ibidem Christophoro Beehr, Sacris Apostolica & Imperiali auctoritate uicecomite, Constantiensis, & Hieronymo Papis Curiensis Diocesis Cleric. testibus ad præmissa uocatis, rogatisq; pariter & requisitis.

FINIS.